

<sup>a Mach. 1. iii.  
2 et 3.</sup> gigas, et succinxit se arma bellica, et præliabatur prælium Domini cum lætitia<sup>a</sup> contra incredulos in partibus Avenionensibus<sup>1</sup>, Tholosanis et Albigensibus abundantes, quem post victoriam et expugnationem quarumdam partium cito rapuit divina bonitas ne mundi malitia ejus intellectum mutaret, non tamen sine maximo totius regni dolore ac detimento : flevit populus fletu magno, et luxit dies multos. Tempore etiam hujus fuit voluntas et cogitatio præmissa crescens, non deficiens, facta semper seipsa robustior, sicut sequens probavit eventus.

Procedente tempore, regnante Ludovico juniore, præfati Ludovici filio, Godefridus, senex corpore, spiritu promptus, æstuans et inebrians amore gloriosæ virginis, non valens satiari laude ipsius et miraculorum recordatione, hujuscmodi verbis bonæ memoriarum Herbertum, tunc abbatem, ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta interpellavit dicens : • Domine abbas, quid tardatis? Quare non inchoatis opus Deo acceptum, beatæ virginis honorificum, hominibus profuturum? • Et cum idem abbas se excusaret, asserens ecclesiam multis causis gravatam, debitum obligatam, operi tam sumptuoso non posse sufficere, obtulit ille Godefridus devotione non minima sexaginta libras tamquam operis primitias ad comparationem auri et argenti in opere necessarii<sup>2</sup>. Tunc ad fratrum instantiam et viri devoti desiderium fervens commotus abbas, Bonardum (quasi bonitate arduum) mandavit aurifabrum, artificem probatum, quem operi præfecit. At ille gaudens benigne suscepit, et susceptum fideliter exequens, capsam novam construxit argento coopertam, auro rutilantem, gemmarum varietate distinctam, e celaturas, scripturas, imagines, columpnas, capitella ordine multiplici decenter ornata habentem. Congruit autem huic aptari quod in Ecclesiastico legitur : conuenit opus artificis in gemmis pretiosis, figuratis in ligatura auri, et opere lapidarii sculptis<sup>b</sup>. Si enim legitur in libro Regum Salomonem domum fecisse miri operis, lapidibus pretiosis ibidem serratis, filiae Pharaonis quam uxorem duxerat<sup>c</sup>, quanto magis tantæ matronæ nobili, patronæ indeficienti, jam in cœlis regnanti, vas aptum in honorem oportebat condi? Deo igitur et ipsi gratias agamus qui dedit incipere, perficere, solidare.

<sup>a H. Cor. vii. 2.  
b I. Cor. xii. 2.  
c II. Cor. xii. 2.</sup> Contigit tempus acceptabile, diem salutis<sup>d</sup>, annum<sup>e</sup> placabilem Domino<sup>f</sup>, regno Francorum feliciter adventasse, non tam humana industria quam dispositione divina. Christi enim patientis insignia, arma, vexilla, fidei munimenta, spei præludia, caritatis exenia, quibus de diabolo triumphavit, mortem superavit, genus humanum redemit, infernum spoliavit, paradisum ditavit, angelos lætificavit in regnum benedictum allata. Sic hæc labore gravi, multis intercedentibus periculis, maxima sollicitudine, sumptibus immensis, modo mirabili, dictus rex junior Ludovicus, bonitate conspicuus, fidei pollens integritate, multimodis virtutibus præclarus, ad prædicta habenda animo anxius, cogitatione pervigil, persecutioni incessanter insistens, nunciis fidelibus per loca varia destinatis, ab imperatore Constantinopolitano et Imperii baronibus necnon et aliis, sub fidei testimonio vivæ vocis et instrumentorum cum sigillis authenticis fide dignis, efficaciter acquisivit. Primum fuit spinea Corona sancto capiti superni Regis imposta, deinde Crux adoranda membris Redemptoris coaptata, demum Spongia quam aceto plena hyssopo circumponentes obtulerunt perfidi ori ejus, et ferrum Lanceæ cuius acumine percuesso Christi latere continuo exivit sanguis et aqua; nichilominus et

<sup>a Cod. male Aviniensibus.</sup>

<sup>b</sup> Quantum totum opus constituerit docet instrumentum quod jam a doctissimis Gallie Christianæ auctoriis editum (t. VII. col. 739) rursus e chartulario Genovesano (p. 280), quod retinuit bibliotheca Genovesana, proferre opera pretium est.

<sup>c</sup> Sciant omnes tam presentes quam futuri quod in opere capsæ beatæ Genovæ, de quo superiorius sermo habetur, continentur ix. xx et xxx (193) marchæ et dimidia marchæ argenti, quæ costaveruntcccc et xxxv libras ad rationem xlvi solidorum Parisiensium pro marcha. Continentur etiam in dicto opere viii marchæ et dimidia marchæ auri, quæ costaverunt vi. xx et xvi libras Parisiensium ad rationem xvi librarum Parisien-

sium pro marcha. Bonardus autem, qui construxit dictum opus, recepit pro labore suo et pro lapidibus pretiosis in dicto opere contentis, per manum fratris Thomæ, tunc temporis cellararii, cc libras Parisiensium. Summa totius expensæ pro dicta capsâ viii. c et lx et xi libras Parisiensium, excepto tabernaculo et canibus de cupro qui sustinebat dictam capsam, quæ costaverunt xl libras et amplius.

<sup>d</sup> Erravabant autem doctissimi Gallie Christianæ auctores in excrindo numero marcharum auri; nam apud eos legitur vii marchæ et dimidia pro viii marchæ et dimidia marchæ auri.

<sup>e</sup> Cod. male, si videtur, dies pro diem et agnum pro annum.